DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSPEPSIA.

(8.)

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSPEPSIA;

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

DAVID B. WHITE,

Anglus,

SOC. EXT. ET NUPER. PRÆS. ANN. SOC. PHYS. REG. EDINENSIS.

"——would pique himself on intellect, whose use
Depends so much upon the gastric juice."

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT J. PILLANS ET FILIUS.

MDCCCXXV.

ANDREÆ BROWNE,

ARMIGERO,

QUI

CURATORIS INTEGERRIMI,

DIU

FUNGEBATUR MUNERIBUS,

HANCCE DISSERTATIONEM,

REVERENTIÆ ANIMIQUE HAUD INGRATI,

QUALECUNQUE SIT

PIGNUSCULUM,

DEDICAT

AUCTOR.

AMICO SUO CARISSIMO,

WOLSTENHOLMIO PARRIO,

HOC PARVULUM

AMORIS INSIGNIS,

ANIMIQUE

QUAM FELICITER CUM ILLO IPSE

TEMPUS NE BREVE QUIDEM

TRANSEGERIT

BENE MEMORIS,

TESTIMONIUM

VULT

AUCTOR.

To Dr. Woodford, with the Auth[or's]
best Wishes —

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

DYSPEPSIA.

AUCTORE DAVIDE WHITE.

INTER Morbos, qui nostris temporibus genus humanum plectunt: nullus fortasse, quàm iste de quo in hac dissertatione agendum erit, sive frequentiam, sive pertinaciam, quâ remediorum effectibus obsistit, spectemus, locum magis in conspectu tenet. Morbum, majoribus nostris fere incognitum saltem admodum insolitum, nobis adeo

assuetum esse, dolori pariter atque admirationi multis fuit. Sin, autem, genus vivendi simplex, quo avi et proavi uti solebant cum luxu non minùs pernicioso quàm culto temporum recentiorum conferamus; si in mentem revocemus non posse fieri, quin cibi moresque mutati morbos mutatos et diversos, eoque graviores quo longiùs illi a via Naturæ sana et simplice recesserint, efficiant; si hæc nobiscum reputemus, parum quidem, quod de hac re admiremur, manebit. Statu Societatis provectiore, nova desideria hominum novas quoque hominum occupationes gignunt, et numero civium aucto, novi ordines a conatibus non tantùm corporis quantùm animi, pendentes, oriuntur; humanitate artibusque vitæ cultioris progredientibus, ambitio nihil amplius vires corporis roburque, gloriamque exindè assequendam, quasi summum bonum spectabit. Mens vice sua superabit, quam habitûs sedentarii, et cogitationum agitationes, antea fere ignotæ, inseparabilis comitantur. Ingenium nova mentis miracula proferens,

novasque cogitationis semilas pervagans, necesse ut sibi auxiliis patientiam et prudentiam advocet; et Fama labore studioso diuturno, fortasse valetudine, vel etiam vitâ ipsâ pretio emenda est. Consuetudo quoque, dominatrix superba, diem pro nocte, noctemque, vicibus mutatis, pro die habendam curavit: Ususque hodiernus eas tempestatis mutationes, quas majores robusti et vegeti despiciebant, et nihili omnino ducebant, nobis pestes molestissimas, et quamque temperiei vicissitudinem morbi prænunciam reddidit, Plurima opificia instituta, artesque quæ vitam sedentariam artificibus imponunt, habitusque male sanus Spiritus distillatos nimia copia assumendi, cibo pravo et vestitu parùm idoneo adjectis, ordines societatis inferiores cum superioribus, quod ad luxûs effectus nocivos attinet, fere æquarunt. Si quidem causas plurimas et diversas Dyspepsiæ recenseamus, eas a moribus nuperiùs in rationem vivendi admissis, oriundas reperiemus, qualia sunt; vita sedentaria, neque

satis sub dio versata; ratio horarum noctis et diei minùs regulariter adhibita; usus liquorum meraciorum immodicus; Opium, Thea, Coffæa, Nicotiana, Tabacum intempestivè et copia haud idoneâ sumpta. Non, igitur, nobis vehementer conquerendum est, neque sortis nostræ admodum pœniteat, quoniam regula Numinis divini benigna est, unum, scilicet morbum frequentius accidentem alio quovis malo rariore facto compensari; hujus observationis veritas facilius videbitur, si affectiones Inflammatorias, prout major proclivitas ad morbos generis alterius adfuerit, minus frequenter invadere recordemur. Hujus seculi porro, præ ceteris, est, jactare, malum e quondam maxime horrendis, unum, jam fere a stirpe periisse; neque id ad quod animadverto, ignotum erit, si tantummodo nomen Jenneri subjiciam.

DE MORBI DEFINITIONE.

Doctor Cullen hunc morbum in classe Neurosium, et ordine Adynamiarum collocavit; verbisque talibus definitionem tradidit: "Anorexia; Nausea; Vomitus; Inflatio; Ructus; Ruminatio; Cardialgia; Gastrodynia; pauciora saltem vel plura horum simul concurrentia, plerumque cum alvo adstricta, et sine alio vel ventriculi ipsius vel aliarum partium morbo."

MORBI HISTORIA.

Quamvis profecto descriptio supra a Doctore Cullen citata, brevis, pariter atque elegans est; nihilominus, quoniam omnia symptomata memorata raro simul aggrediuntur; quoniam morbus ipse adeo tacitè et insidiosé progreditur, viamque ad alios morbos exitiales sternit; et quoniam adeo

refert ut perquam maturimè obsistatur; ejus decursûs generalis historiam, brevem quidem, exequi, me oportere opinor. Inter Initia, æger temporibus certis morbi aggressionibus plectitur. Indicia, quæ jam sese produnt, hæc sunt; Constipatio; Anorexia, vel nonnunquam appetitus abnormis; lingua mane crustata, cum impetu sanguinis majore vel minore, caput versus directo. Dyspnæa quovis nisu insigniter augetur; somnus turbatur; somnia horrifica horas nocturnas, quæ quieti debentur, infestant; incubus ægrum opprimit; et in nonnullis temperamento nervoso præditis, simul ac tenebras lectumque petiverint, quotquot res interdiu attentionem sibi precipuè vindicarunt, tum quoque eædem menti rursus oblatæ occupant, ægrique ei negotio, quasi revera interesset, se totos dedunt; vel si ad rem quamvis aliam cogitationes avertere conetur, tanquam vi quadam resiliendi illæ ad cursum priorem revertuntur. Sæpe quoque quasi destructio perfectæ supervenit, unde æger ad mentem conditionis suæ con-

sciam saltu repentino cietur. De intervallo, sive per horam totam, vel per ejus partem sexagesimam perstiterit, æger æque nihil novit. Paroxysmi istiusmodi, talibus symptomatis stipati, sæpe per dies duo vel tres adesse perstant. Causis, quæ eos induxerant, sublatis, vel debilitatis, aut corporis exercitatione, vel cathartico remedio fortasse illi tolluntur; et dum intervallum perdurat, æger se benè omninò habet. Morbus autem nihilominus, progredi minime desinit; indicia paulatim graviora, et intervalla bonæ valetudinis breviora fiunt.

Quævis cura solicita, vel cibi nonnulli prius innoxii jam turbationem compagis generalis inducere valent; lingua colorem suum albidum per diem totam usque retinet; animi indoles irritabilis esse incipit, ingeniumque difficilius evadit; nunc primo fortasse, æger suum morbum minime negligendum, et aliquid in se periculosi habere, putat. Remedia antea sumpta nihil am-

plius effectûs specifici edant; oculus mane sanguine suffusus conspicitur; magna pulsatio temporibus adest; dolor immanis et interdum cordis ipsius palpitatio vehemens. Timores quidam nullis verbis definiendi ægri animum adoriuntur: morbum suum insanabilem putat, spemque omnem prorsus abjicit. Istæ mentis ægritudines malum gravius reddunt. Talis conditio gradu vehementiæ majore vel minore per temporis spatium pro rebus brevius vel longius urget. Si morbus adhuc et longius progreditur, alia indicia præterea sese ostendunt. Teneritudo quædam sub pressura, nonnunquam, sed levissime, proximé margini cartilaginum costarum falsarum lateris dexterioris, sentitur; pulsus durescit; et sitis cum febre aliqua, et sudores matutini instant. Non potest fieri, quin aliqua structuræ mutatio talem turbationis generalis statum diu perstantem subsequatur. Consensus cum quovis organo alio, primariæ affectioni supersedere incipit. Vitia He-

patis, Pulmonum, Lienis, Cerebri, Intestinorum, etc. superveniunt, ægrumque e medio tollunt.

DE CAUSA PROXIMA.

Si causas plurimas et diversas, quæ actionem digestivam adeo complicatam afficere possunt, in rationem adhibeamus, omnes conjecturas, quæ Dyspepsiam ab una causa pendere proponunt, suspicari licet, imo oportet. Quamvis experimenta creberrima, ad rationem Concoctionis veram in conspectum proferendam instituta sunt, multum obscuri adhuc subest. Alii potentiam Succi Gastrici vindicant; alii nervorum, etc. agentiam ad litem dijudicandam afferunt. Ab experimentis a Spallanzani factis, humorem qui alimenta haud parum afficiat, secerni constat; Doctor Phillips nervos quoque nonnihil ad hunc affectum conducere monstravit; motum ventriculi peristalticum existere in aprico est. Si igitur,

quælibet ex his actionibus singulis impediatur, functiones concoctionis solitas et regulares plùs minùsve turbatum iri sequitur. Quare, causam quamlibet, unam quasi semper culpandam comprendere licet. Quævis harum per se vel cunctæ simul Dyspepsiam inducere possunt. Læsio cerebri cum injuria ventriculi, et hæc cum illa confundi queat; neque ratio gravissima deest, cur credamus Dyspepsiam a læsione quoque ulla tunicarum ventriculi, etiam motum peristalticum turbante, oriri posse. Constipationem ibi loci quoque, haud secus ac in intestinis inferioribus, posse existere verisimile est. Nulla in Medicina inquisitio magis Pathologi ipsius interesset, vel generi humano magis proficeret, quam quæ ad cursum hujus morbi obscurum et latentem patefaciendum, in stadio priore antequam turbatio haud parva accesserit, et varia symptomata, variasque causas unde hæc profluunt, explicanda conferret. Donec hac fiat fuerit, curationem magna ex parte empiricam esse oportet; et quanquam, ob

consensum qui partes singulas compaginis humanæ universæ nectit, hunc morbum sæpe ad exitum felicem perducere possimus, attamen nullum documentum certum adhibetur, unde haud parum laboris nostri non supervacuum omnino fuisse, propter primariam mali sedem neque plenè intellectam neque remediis subjectam, pro comperto habeamus.

Qua causâ cunque tamen morbus ipse fuerit ortus, effectus ultimos eosdem esse non absimile videtur. Quum aliquamdiu processerit, nova indicia, qualia in historia morbi tradenda annotavi, veluti dolor sub costis lateris dexterioris, etc. nascuntur. Irritatio a cibo malè vel non omnino assimilato orta tandem conditionem morbosam tunicæ internæ inducit. Turgescentia sive Inflammatio tunicæ villosæ a Doctore PARRY et M. BRUSSET pro causa Dyspepsiæ proximâ habetur.

DE CAUSIS EXCITANTIBUS.

Uti fere fit, hanc causarum classem in duo genera, alterum Directas, alterum Indirectas complectens, distribuam. Inter illas, omnes, quæ proximè et sine medio quolibet ventriculum afficiunt, inter has, cunctæ, quæ per medium quodvis suos effectus præstant, ordinantur.

DE CAUSIS DIRECTIS.

Ob habitus in annis teneris genitos, consuetudo turpis ingluviei per vitam sæpe totam perstat, et ob vim magnam qua pollet, quantumcunque manifestæ noxæ ejus fuerint, exsuperari et discuti negat. Hac consuetudine fere nulla perniciosior existit; constipatio enim inseparabilis comitatur; hæc autem usum assiduum purgantium et laxantium postulat, quæ tali ratione sæpe

assumpta nunquam non vires concoctionis diffringunt, et labefactant. De usu nimio liquorem meraciorum, qui " Spiritus distillati " appellantur, quoniam multum ab aliis et bene quidem ad hanc rem dictum est, nihil ultra hic proferre in animo est. Parum profectò boni de cerevisiis, vernaculè " Ale " et " Porter " dici potest, et longe minus adhuc de iis compositis, quæ sub nomine et in locum illorum nimis sæpe afficiuntur. Hæc quidem nullus ventriculus vel fortissimus impune tolerare potest; Plenitudinem enim corporis, Debilitatem, et Appetitûs Cibi defectum inducunt. Usus Tabaci quoque sive manducati sive sub forma fumi in os assumpti, sive in pulverem tenuissimum et valde irritantem comminuti, et in nares inhalati, præcipue memorari debet: Quod ad usum hunc postremum Tabaci attinet; exemplum unum a Doctore CULLEN * traditum nostram opi-

---

* " First Lines."

nionem de hac re satis explicabit. Ipse quemdam generosum novi, qui quamvis antea Tabaci rotularum fumum haurire solitus est, jam, si vel per tempus brevissimum huic usui indulgeat, Dyspepsiâ per dies aliquot plectitur.

DE CAUSIS REMOTIS.

Ex his præcipuæ sunt vita sedentaria et exercitatio ideo neglecta; Studium nimis intensum; tempora diei noctisque minus regulariter observata; Venus immodice culta; pathemata mentis deprimentia, frigusque cum humiditate conjuncta. Hæc duo posteriora exhalationem per cutem impediunt, et ob nexum arctum qui modo insigni cutem inter et ventriculum intercedit, Dyspepsiam arcessunt. Hæc quoque Morborum multorum generis præsertim Nervosi sequela est.

DE CAUSIS, QUÆ AD DYSPEPSIAM PROCLIVITATEM EFFICIUNT.

De hac re quidem multum dubitatum fuit; nonnulli enim hoc malum hereditarium esse contendunt. Eos præcipue qui temperamento sanguineo instruuntur, invadit. Doctoroque Wilson Phillips homines pulmonibus debilibus præditos a Dyspepsia immunitatem insignem habere dicit.

DE DIAGNOSI.

Morbi cum quibus Dyspepsia facillimè confundi potest, sunt Hypochondriasis, et Schirrhus Pylori.

Inter Symptomata horum, prioris morbique de quo agitur, tantulum discrimen omnino intervenit, ut limites, qui ab altero alterum sejungunt, accuratè depingere diffi-

cillimum sit. Discrimina vero a Doctore CULLEN adumbrata talia sunt. "Hypochondriasis is generally found in the Melancholy temperament; Dyspepsia in the Sanguineous. The latter often appears early in life, and grows better as life advances. The Hypochondriasis seldom appears early in life, and more usually in advanced years only ; and more certainly still, when it has once taken place, it goes on increasing as life advances. In Dyspepsia there is more of Spasmodic affection ; and the affection of the mind is often absent, and when present, is perhaps of a slighter kind. In Hypochondriasis the affection of the mind is more constant ; and the symptoms of Dyspepsia, or the affections of the Stomach, are often absent, or, when present, are in a slighter degree. The mental affections differ also. In Dyspepsia there is languor and timidity only, easily dispelled: In Hypochondriasis there is the gloomy and rivetted determination of evil. Dyspepsia is often a symptomatic affection,

while Hypochondriasis is, perhaps, always a primary and Idiopathic disease." Idemque Auctor quoque nos certiores facit, tonica, quæ in Dyspepsia prosunt, in Hypochondriasi vix tuta reperiri.

Lavatio frigida porro in Dyspepsia plurimùm proficit, in Hypochondriasi contra calida; Thea et Coffæa, haud ita male illi respondentes, huic minûs conveniunt. Quamvis autem hæc explicatio adeo minuta tradita est, tantum hæc duo mala se invicem sæpe referunt, ut opinio haud raro ab historia ægri generali ceterisque hujusmodi rebus circumstantibus sit deducenda.

In Schirrho Pylori tumor sub cartilagine ensiformi discerni queat, cum dolore urente, et decubitu in latus dextrum, si omnino fieri potest, difficili; vomitusque muci viscidi et tenacis aliquamdiu post cibum ingestum accedit. Quando exulceratio subest, materia per vomitum rejecta colorem fusco nigrum exhibet; et irritatio, quamvis

fortasse ipsa levis angori immani ortum præbet. In Dyspepsia dolor, qui adest, potius generis Spasmodici est; et materia vomitu eliminata, ea quæ in ventriculum fuerant ingesta tantummodo, vel eadem cum bile commista repræsentat. In Dyspepsia vultus languidus est, et coloris flavi; in Schirrho autem vel exulceratione idem aspectum mirum in modum solicitum et colore plumbeo depictùm præ se fert, Dyspepsia præcipue adolescentiam et ætatem constantem aggreditur; Schirrhus vero plerumque provectionem corripit.

DE RATIONE MEDENDI.

Fortasse nil melius factu est, quàm, uti fieri solet; curationem pro indicationibus, a Symptomatis cæterisque rebus circumstantibus desumendis, ad tria capita generalia referre.

1*mo,* Causas quæ producunt, tollere.

2do, Symptomata singula mitigare.

3tio, Vim roburque functionum turbatarum restituere.

1*mo,* Hoc tempore morbi momentoso, initio, scilicet, curatio sæpe voluntate ægri ipsius innititur; tantum vero imperium consuetudines pravæ haud raro adipiscuntur, ut iis, ut decet, minime obstare possit. Causæ quæ injuriam afferunt Dyspeptico monstrandæ sunt, easque strenuè evitare imperandum.

Si Intemperantia generalis causa fuerit, urbs illecebræque ejus omnes fugiendæ sunt; et loca petenda, ubi æger societate mentisque voluptatibus, sine ea intemperantia quæ hunc morbum inducit, fruatur. Sin autem illi sit satis voluntatis bonæ viriumque animi, ut voluptates spectare neque tamen ab iis allici possit; si denique imperiis Prudentiæ quamvis austeris et fortasse minimè gratis obsequi velit; tum de-

mum amicorum frequentia, et cum iis qui sanitatem ejus optant, convivium commeatusque jucundus et prudens, melius convenient. Solitudo, utpote quæ Dyspepticis quam inimicissima sit, prorsus evitanda est. Plurimum mali a desiderio naturali alvum dejiciendi neglecto oritur; sic enim Intestina inertia fiunt. Si talis inertia jam adfuerit, ægri quoque die hora semper eadem alvum sedendo solicitare debent, mane præsertim id fieri oportet, ut nonnulli volunt; et hæc ratio quamvis primo fortasse frustra tentata fuerit, raro ad ultimum effectu optato carebit. Mane quoque, cum æger lecto exieret, et dum vestes induuntur, cyathus largior aquæ frigidæ lentissime pitissatus, adversus constipationem inveteratam plurimum a Doctore Gregory, jam mortuo, laudabatur; et commodi haud parum exinde percipi ipse cognovi. Si morbus a consuetudine ebrietatis diuturna ortum duxerit, stimulos paulatim pro re nata imminuere decet; sed in talibus affectionibus, ne stimuli soliti adeo repentinò

abducantur, ut mens laboret, magnopere cavendum est. Hac enim regula neglecta, Nervosi generis affectiones, morbo primario, utpote quæ majorem miseriam secum afferant, pejores inducuntur. Quantumcunque præcaveatur, incommoda sæpe oriri oportet, quoniam consuetudinem semel et simul haud raro abrumpi necesse est. Mens ægri semper in quodam Excitationis gradu teneri debet. Nunquam perfectè quietus esse debet, nunquam solus. Occupationes usque variare prodest. Otium, ut suas cogitationes melancholicas fortasse contempletur, minime concedendum. Peregrinatio sæpe multum profuit. Si æger cœlebs est, nuptiæ, quando remedia alia spem fefellerunt, curationem effecerunt. In Dyspepsia, diæta nutriens esse debet, et copia pro viribus concoctionis, satietate evitata, assumenda.

Dyspepticus suo appetitui nunquam plene satisfacere debet, neque sine appetitu comesse cogi: cibus, enim natura repug-

nante, ingestus, quoniam concoctionem idoneam non subit, ventriculo abest; Parum quidem ad vitam sustinendam sufficit. In exemplis ubi magna nervosa mobilitas adest, pulmentum commune avenaceum cum lacte sumptum cibus bonus ad cœnam præcipue evadit, irritationemque nervosam ab alio cibo potius auctam sedat. Cyathus unus vel alter vini, præsertim albi, post prandium multis prodest. Thea, Coffæa, Caseus recens, Cerevesiæ, fructus immaturi, cibusque omnigenus sale conditus omni cura evitari debent.

SYMPTOMATA SINGULA MITIGARE.

Nullus fortasse morbus existit, cujus curatio tam parum Medicina, quam is de quo agitur, innitatur. Ventriculus primò vomitorio leni purgandus est. Si Cardialgia ægrum molestum habeat, Carbonas Magnesiæ, Creta vel Aqua Calcis medicamento leniter laxante adhibito, levamen afferre

possunt. Si Debilitas cum magna vertigine et sensu virium deficientium adfuerit, tale est remedium bonum.

℞. Sub-Carb. Potassæ, ʒ i.
Rhei Pulv. ʒ ifs.
Infus. Gentianæ, f. ℥ viij, M.
ft. Mist. Unum vel duo Cochlearia subinde sumenda.

Si alvi fluxus urgeat, Misturam Cretæ exhibere juvat. Si quamvis hæc remedia adhibita sunt, dolor ventriculi nihilominùs adhuc perstet, ad Opium, Cathartica, ad ejus effectum constipantem solvendum, confugere oportet. Adversus vomitum haustus salinus, vel si pertinax est, vesicatorium regioni ventriculi admotum cum pilula ex Camphora et Opio, proderunt. Cum flatus subest, hæc formula utilissima reperietur.

℞. Gum Assafœtidæ, gr. vi.
Capsici Pulv. gr. i.
Aloes Socot. gr. iv.
ft. Pil. iii, hora somni sumendæ.

Quum alvi dejectiones nigræ et fœtidæ sunt, et Hepar morbum insigni modo participare indicant; Pilulæ Hydrargyri grana quinque quaque nocte secunda vel tertia sumpta, vel, si hæc minus efficacia fuerint, doses minimæ aliquoties in die exhibitæ, commodum summum præstitere. Quum dolor costis dexterioribus subest, pulsusque durus accedit; sanguis per hirudines Epigastrio appositas est detrahendus, regimenque antiphlogisticum quam strenuissime sectandum.

VIRES VENTRICULI RESTITUERE.

Amara locum primum inter remedia hujusmodi tenent. Quæ usurpari solent hæc sunt; Anthemis Nobilis; Absinthium, Cinchona, Gentiana, Quassia, et Cascarilla. Hæc autem plerumque in exemplis mitioribus tantum utilia fiunt, et multis non omnino conveniunt. Astringentia,

et rebus vegetabilibus et mineralibus constantia nonnunquam prosunt; at posteriora magis valent. Inter hæc maxime conspicua sunt præparata Ferri diversa, Acidumque Sulphuricum. Temperantia, vita in cunctis regularis, mentis diverticula, corporis exercitatio et lavatio plurimùm pollicentur. In corpore exercendo, tamen, minimè, ut nimis sæpe fit, certis regulis, sensibus nostris neglectis, dirigi debemus. Multi, vitæ sedentariæ assueti, brevia quædem itinera, vel, ut Anglice dicuntur, "Walks," tentare solent; et quicquid necessarium est, id omne se perfecisse putant, quamvis fortasse cogitationes per omne tempus tam occupatæ sunt, quam si inter studia sedissent. Nil nisi mutatione aëris tali ratione fruuntur, Exercitatio omnigena usque adhibenda est, donec cutem plane afficiat; et in Dyspepsia certis horis fieri debet.

Siquando ob debilitatem aliamve causam quamvis, tantum exercitationis, quantum ad hoc consilium peragendum sufficiat, su-

mere nequit, effectus optatus leni diaphoretico exhibito, promoveatur. Sæpe multa signa molesta leni sudore erumpente tolluntur, veluti, Vertigo, sensuum internorum turbatio, etc. quanquam antea nihil levaminis perceptum fuerat. Quum æger talem nisum tolerare nequit, strigil strenué admovendus est, et exercitatio paulatim agenda; et quamvis primo Dyspnœa et Palpitatio huic rationi obstare videantur, hæ autem plerumque demum exsuperari possunt. Lingua mane crusta qua obtegitur bene purgari debet. Nullum fortasse remedium valetudine generali magis proficit, quam quoque mane partes corporis superiores caput, scilicet, pectus, etc. spongiare vel potius lavare. Si hæc consuetudo generalior evaderet, cohortem ingentem Morborum temperiei mutationibus ortorum effugeremus. Præcautelæ, quæ per se debilitatem gignunt, sub Cœlo Britanniæ mutabili prorsus necessariæ, tunc prætermitti possunt. Eos qui hac consuetudine usi sunt semper sanissimos observavi. Dictu

mirabile est, quod inter innovationes temporum recentiorum luxuria tanta tam parum colatur.

Inter ordines Societatis superiores, quantum pecuniæ in supervacuis emendis sumitur! et tamen in familia quam utilis consuetudo supra laudata foret? Postquam lavatus est, Dyspepticus se linteo aspero siccare debet, et frictionem adhibere, donec calor lenis et jucundus, per summum corpus sentiatur.

FINIS.